

DE SIGNIFICATIONE PLANETARVM IN

etrinis, & rebus occultis, dat amicitiam cum hominibus laudatis, & honestis, erit ab omnibus amatus, habebit fortunam bonam in omnibus rebus quas incipiet.

Luna multiplicat spem & fiduciam, dat lætitiã, honorem, & utilitatem à magnis principibus, siue dominis & à populis, acquirat quæ desiderabit, habebit multos filios.

Caput largitur amicitias magnorum hominum, utilitatem & honorem per illos. Sed erit infortunatus in filiis.

Cauda dat modicam gratiam cum amicis, Sed aliquos filios fortunatos, & amicorum diminutionem.

De duodecima domo.



Aturnus in duodecima, non in suo domicilio uel exaltatione, significat multitudinẽ angustie, tribulationẽ cū multitudine inimicorum, erit infortunatus in animalibus maioribus, erit timidus in suis negociis, & infortunatus, stabit in carcere, aut erit demandatus exilio, & quot planetæ fuerint in duodecima domo, tot uicibus conijcietur in carcerem, maximè si Mars fuerit in angulo, significat etiam impedimentum à rege, quòd capiatur ab inimicis. Si uerò fuerit Saturnus in domicilio uel exaltatione sua, significat natum fieri fortunatum in animalibus maioribus.

Iupiter facit ut crescant inimici nato, & grauamen habeat à uiris altis & potentibus, nam dat inimicos fortes & potentes nato nocituros, dat carceres, seruitutes, paupertates. Si uerò fuerit in domicilio uel exaltatione sua, dat omnium dictorum contrarium.

Mars significat tribulationem, angustias multas, uexationes uarias, cum grauitate sustentationis, significat etiam carceres captiuitates, percussiones, & similia, ex quibus oritur periculum, dat multos inimicos, sed obruet illos, ingeniosus furtum faciendo, infortunatus in bestiis maioribus, tenebitur in carcere, habebit aliquod malum, aut uulneratus erit in pedibus. Significat etiam quòd inimici nati extollent se super eum, facient ei malum si fortis fuerit Mars. Si uerò debilis fuerit, erunt debiles, nec ei nocere ualebunt.

Sol significat inimicitias à regibus, potentibus, principibus, ac magnis uiris, ab eis angustias patietur, & tribulationes, dat carceres uel exilium propter aliquod homicidium, uel propter iram domini, perdet rem familiarem, uel substantiam atque honores, à seruatoribus tribulationes habebit, & per homines uilis conditionis. Sed econtra dat bonam fortunam in magnis animalibus.

Venus remouet hostes & carceres, tollit tribulationes, & angustias, facit fortunatum ex equis & cæteris animalibus quæ equitantur, dat fastidium & rumores causa mulierum, uel propter mulieres, aut propter amorem, & præsertim mulierum de uili conditione, carceres aut exilium. Et si fuerit in Virgine, Capricorno, aut Aquario, præsertim coniuncta cum Sole, Saturno, aut Marte, minabitur periculum occasione, uel causa amoris. Et si natiuitas fuerit masculi, facit eum mollem, & cinedum publicum. Si fœminæ, facit meretricem publicam, & inhonestam. Tamen Venus in duodecima, dat bonam fortunam in animalibus maioribus.

Mercurius, significat quòd natus habebit inimicitias à doctis, & similibus Mercurialibus, facit infortunatum hominem, aliquantulum leuem ingenio, & semper quæret de rebus sine fundamento, habebit multos inimicos, & sæpe uersabitur in carcere, significat etiam fornicationes turpes, & deceptiones. Et si fuerit fortunatus, habebit bonam fortunam ex animalibus quadripedibus, & non impeditus, scilicet facere homines literatos, & Philosophos, peritos in omni scientia.

Luna